



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

Quòd terminos transgredi non oporteat. cap. viii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A filius Altissimi. Non despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrimae viduae ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? 35.

Viduas honora, quae verè viduae sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuum vicem reddere parètibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Quae autem verè vidua est, & defolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus die ac nocte. Nam quae in delitiis est, viuens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Adolescentiores viduas deuita. Cum enim luxuriat fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otiosae discunt circuire domos, non solum otiosae, sed & verbosae, & curiosae, loquentes quae non oportet. 1. Tim. 5.

Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, haec est: visitare viduas & pupillos in afflictione eorum. Iac. 1.

*Turturem aiunt, à coniuge suo disunctam, non iam adduci posse, ut cum altero consuetudinem habeat: verum congressus venerei expertem manere: recordatione videlicet illius, quocum copulata fuerat, alterius societatem respuentem. Audiant foemina, quemadmodum etiam apud animantes, quae ratione carent, viduitatis honestas multarum nuptiarum turpitudini praefertur.* Basil. Ho. 8. in Hexam.

C Quod terminos transgredi non oporteat.

CAP. VIII.

**N**ON assumes & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua. Maledictus, qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus, Amen. Deut. 19. 27.  
Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Pro. 22.

*Sunt quaedam in piscibus, quae imitari conuenit: nempe quemadmodum singula ipsorum genera, aptam sibi regionem velut partitò consecuta, impetum inter se non faciunt, verum in suis quaeque finibus morantur. Nullus geometra domicilia apud eos distinxit. Non mœnibus circumscribuntur, non limitibus distinguuntur: verum sponte, quod cuique accommodatum est, assignatur. Etenim hic sinus haec piscium genera nutrit: ille alia. Et quae hic magno numero sunt, aliis locis reperiri nequeunt. Nullus mons acuto vertice prominens eos dirimit: nullus fluuius transitum interscindit: verum lex quaedam est natura, quae iuste & aequabiliter, prout cuique vtile est, sedem omnibus attribuit. At apud nos longè aliter se res habet: quippe qui antiquos terminos immouemus, quos posuerunt patres nostri. Agros protendimus, domum domui coniungimus, ut proximo aliquid eripiamus. Norunt cetera sedem sibi à natura assignatam: atque disinctum à regionibus habitabilibus mare occuparunt, quòdque insulis careat, nec ullam è regione continentem terram habeat. Hanc sedem enacta cetera, summis quibusque montibus, ut affirmant qui viderunt, magnitudine nequaquam inferiora, suis se finibus continent, nec aut insulis, aut maritimis regionibus, detrimenti quicquam afferunt. Ad hunc nimirum modum quodlibet genus, non secus atque vrbibus aut pagis quibusdam, aut antiquis patriis, in iis maris partibus, quae sibi destinatae sunt, commorantur.* Basil. Ho. 7. in Hexam. Pro. 22. Esa. 5.

De via bona & mala: & quòd obliquas res ac vias vitare oporteat, ac per rectam proficisci.

CAP. IX.

**I**NIQUI aliquid est in manu tua, procul illud fac à te. Sic lucebit facies tua sicut aqua pura. Qui obliuiscuntur viam iustae, infirmati sunt inter homines. Iob. 11.